

quam dicit, Spiritum sanctum esse creaturam; et tamen adversarii audacter Spiritum sanctum creaturam appellant?

Veteres Ariani objiciebant quaedam loca Scripturae, quae tamen facile a sanctis Patribus explicabantur. Primo objiciebant illud Amos IV: *Ego firmans tonitru, et creans spiritum* (1). Sed respondit Basilius lib. III in Eunom. ventum eo loco spiritum esse vocatum, non Spiritum sanctum, quemadmodum et in Psal. CXLVIII dicitur *Spiritus procellarum* (2). Eodem modo exponunt omnes interpretes ejus Prophetae, ut Hieronymus, Theodoretus et Rupertus.

Secundo objiciebant illud Rom. VIII: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (3). Respondit Augustinus lib. I cont. Maximin. nunc Collat. cum Maxim. num. 3. non longe a principio, his verbis: «Intellige, inquit, locutionem, et blasphemiam devitabis: Sic enim dictum est: Gemitibus interpellat, ut intelligeremus, gemitibus interpellare nos facit. Denique alio loco Apostolus, cum dicit Clamantem Abba Pater; alio loco dicit, In quo clamamus Abba Pater, exposuit quid sit, Clamantem Abba Pater, dicens: In quo clamamus: ac per hoc, quid est Clamantem, nisi clamare facientem?» Haec ille. Chrysostomus quoque homil. 44. in epist. ad Rom. per Spiritum sanctum clamantem intelligendum esse docet donum orationis, quo anima clamat, ac gemit.

Tertio objiciebant illud Joels II: *Effundam de Spiritu meo* Jo. XV. *Cum venerit Spiritus veritatis, quem ego mittam vobis a Patre etc.* (4) Nam ut refert Augustinus lib. II Trin. c. 5. Ariani docebant, cum qui mittitur, minorem esse eo a quo mittitur, et quoniam legebant, Filium missum esse a Patre, Spiritum vero sanctum a Patre et Filio; inde colligebant, Filium minorem esse Patre, et Spiritum S. utroque.

Sed respondit Augustinus, missionem per modum imperii significare excellentiam mit-

tentis, non autem quamlibet missionem. Porro Filium et Spiritum sanctum non mitti secundum imperium, sed solum dici mitti, quia a Patre Filius procedit, et Spiritus sanctus a Patre et Filio, et tam Filius, quam Spiritus sanctus coepit ex tempore novo modo, et quidem manifesto, ac visibili esse in creatura. Nam Filius apparuit in carne, Spiritus sanctus autem in columbae specie, et rursum alias in linguis igneis.

Itaque illa manifestatio visibilis personae invisibilis ab alio procedentis, in Scripturis missio dicta est: nihil autem officere hanc missionem vere divinitati Filii, aut Spiritus sancti, ex eo colligit Augustinus, quod uterque missus est ad eum locum, ubi antea erat invisibili majestate: nam de Filio dictum est Joan. I: *In Mundo erat, et Mundus eum non cognovit*: et postea: *In propria venit*: et de Spiritu sancto in Psal. CXXXVIII: *Quo ibo a Spiritu tuo?* (5)

Objiciebant postremo, ejusmodi ratiunculam. Sunt modi duo agendi, per naturam et per artem: nam per naturam gignuntur Filii, per artem efficiuntur officia: at solum verbum productum est a Deo per modum naturae, siquidem est Filius unigenitus; igitur Spiritus sanctus ex arte processit, proinde officium est.

Respondemus: modum agendi per naturam duplicem esse in iis rebus, quae mente atque intelligentia praeditae sunt, unum per intellectum, alterum per voluntatem; nam et intellectus producit naturaliter notionem, et voluntas naturaliter producit amorem: hoc tamen interest inter Deum et creaturas, quod ille intelligendo atque amando substantiam producit, creatura vero accidentia; ex quo fit, ut Verbum et Spiritus sanctus verae sint hypostases; nostrae vero mentis conceptus, nostraeque voluntatis amor hypostases dici non possint. Sed de his plura dicemus in libro sequenti, si Dominus adjuvare dignabitur.

(1) Amos. IV. 13. — (2) Psal. CXLVIII, 8. — (3) Rom. VIII. 26. — (4) Joels. II. 28; Joan. XV. 26. — (5) Joan. I. 10 et 11; Psal. CXXXVIII, 7.

## CONTROVERSIARUM DE CHRISTO

### LIBER SECUNDUS

#### DE DISTINCTIONE PERSONALI A PATRE ET SPIRITU SANCTO.

##### CAPUT I.

*De distinctione personarum in eadem essentia.*

Haecenus ostendimus, unum verum Deum esse non solum Patrem, sed etiam Filium et Spiritum sanctum. Nunc ostendere oportet haec tria, Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse vere tria quaedam supposita ac distincta, non autem tria nomina, aut tria entia rationis. Quae quidem questio disputanda est propter eosdem adversarios, novos videlicet Arianos, et novos Samosatianos.

Nam Valentinus Gentilis et ejus sectatores, etsi fatentur cum Ario, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum esse tria distincta re, tamen non agnoscunt in ipso vero Deo intrinsecam distinctionem, ita ut eadem essentia sit in tribus; et ideo nolunt Patrem dici personam primam, imo dicunt personam primam esse personam sophisticam, et quod horribilius est, diabolicam, ut patet ex historia Benedicti Aretii de supplicio Valentinii Gentilis, et ideo etiam ridet ista nomina, Essentia, Persona, Relatio, Proprietas, etc.

Porro Transylvani agnoscunt etiam Patrem a Christo distinctum, quippe qui Christum purum hominem faciunt; tamen ante incarnationem nullam agnoscunt in Deo distinctionem, ut patet ex lib. II, cap. 4. ubi dicunt, Verbum et Spiritum sanctum, quae leguntur in Scripturis Testamenti veteris,

esse potentias seu virtutes Patris, non distinctas ab ea persona relatione, aut proprietate. Unde etiam ipsi in toto opere ridet ista omnia nomina.

Nos ergo primo disseremus de istis nominibus, ac ostendemus deduci ex Scriptura, et antiquissimis Patribus. Secundo probabimus, vere tres esse re distinctos, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, licet unus Deus sint, ut libro superiore ostendimus. Tertio solvemus praecipuas difficultates circa hoc ineffabile mysterium, quo unum numero Deum, tres personas reipsa distinctas esse credimus, et docemus. Quarto disputabimus in particulari de distinctione Filii a Patre propter eos, qui Filium *advocatum* esse dicunt. Quinto de distinctione ejusdem Filii a Spiritu sancto, sive quod idem est, de processione Spiritus sancti a Filio.

##### CAPUT II.

*De vocibus, quibus utimur in hoc mysterio explicando.*

Quantum ad primum, nomina sunt haec, Essentia, Homousios, Hypostasis, Substantia, Persona, Proprietas, Relatio, Notio, Circuminsessio, Trinitas: de quibus vocabulis duo dicenda sunt. Primo refellenda quae in universum reprehendunt Transylvani lib. II, cap. 9. Deinde explicandum ordine de singulis. Illi igitur dicunt: haec nomina quamvis profana sint, tamen a nobis retineri quin-



que de causis. Primo, quia utilia sunt ad oppugnandos hæreticos. Secundo, quia Patres illis usi sunt. Tertio, non ut aliquid dicamus, sed ut non taceamus. Quarto, quia utilia sunt ad explicanda mysteria Scripturæ. Quinto, quia etsi ea in Scripturis non habeantur, tamen habentur eorum semina, et æquivalentia. Deinde has omnes rationes quas ipsi sibi proposuerunt, refellunt.

Ad primam respondent, non esse faciendam mala ut eveniant bona; et præterea hæreticos, qui non vincuntur Scripturis, multo minus his vinci posse. Sed non recte exponunt Catholicorum sententiam, nec enim Catholici dicunt, istis nominibus oppugnari hæreticos, sed damnari, et excludi ab Ecclesia: nam propter novas hæreses cogitur nova nomina invenire, ut perspicue distinguamur ab illis, et Catholici sciant quid credere debeant. Vide Augustinum Tractat. 97. in Joan. ubi ostendit fugiendas profanas voces novitates, sed non ipsa nomina nova, que contra novas hæreses instituuntur.

Ad secundam respondent; ergo recipiendi erunt omnes errores Patrum. Sed negamus consequentiam. Patres enim numquam omnes simul errant, etiamsi aliquis eorum interterum erret: nos vero sequimur eos quando simul aliquid docent, non quando proprias ac singulares sententias aliis contradicentibus defendunt. Exemplo sit B. Cyprianus, quem non sequimur docentem, Baptismum esse irritum si ab hæretico tribuatur. Scimus enim, hæc in re doctores cæteros Cypriano non consensisse; et tamen sequimur Cyprianum docentem, Christum esse Deum verum, quia id ipsum omnes Patres summa consensione docent.

Ad tertiam respondent: stultum esse loqui, ut nihil dicas. Sed non intellexerunt ista verba August. lib. IV Trin. cap. 9. cum ait: dici tres personas in Deo, non ut dicatur, sed ut non taceatur. Voluit enim Augustinus dicere, nullum nomen satis explicare quid sint illa tria; tamen dici personas, non ut perfecte declarem vim et naturam divinarum personarum, sed ut non omnino muta videamur, cum interrogamur, quid tria?

Ad quartam respondent: nomina ista exotica et obscurissima esse, proinde inutilia ad explicanda mysteria Fidei. Sed falsum id esse, paulo post demonstrabimus, cum de

singulis disseremus. Certe exotica dici non possunt, quæ jam tot sæculis fuerunt in communi usu totius Ecclesiæ Catholicæ.

Ad quintam negant inveniri synonyma, et æquivalentia in Scripturis. Sed hoc esse mendacium, mox planum faciemus.

### CAPUT III.

#### De vocibus *Essentia* et *Homousios*.

Igitur prima vox est *essentia*, Græce *οὐσία*, quæ in Scripturis invenitur Luc. XV, ubi enim adolescentior filius petit a patre portionem substantiæ, in Græco est, *μῆρος τῆς οὐσίας*; ubi *οὐσία* opes paternas significat. Quæ sunt autem Dei opes, nisi ipsius divinitas, quæ est summum et infinitum bonum? Quia tamen non expresse hoc loco Dei natura vocatur *οὐσία*, merito Epiphanius dicere potuit hæres. 73: «*Essentiæ nomen nudo modo in veteri ac novo Testamento non habetur, sensus autem et significatio ubique habetur.*» Hæc ille. Itaque etsi hæc vox non habetur in Scriptura, tamen habetur ejus synonyma. Nam Rom. I dicitur de Deo: *Sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas*. Græce *Θεότης*, quid est autem *Θεότης*, nisi *οὐσία τοῦ Θεοῦ*? Item Philip. II habetur *μορφὴ τοῦ Θεοῦ, forma Dei*. Certe non minus Philosophicum est forma, quam *essentia*. Et II. Pet. I habetur *divinæ consortes nature*, Græce *Θείας φύσεως* (1). At idem omnino sunt *essentia* et *natura*.

Denique habetur ipsum nomen *essentiæ* in sua radice: nam *essentia* dicitur ab *esse*, et est abstractum ejus nominis, quod in concreto dicitur *ens*: Porro *ens*, et *esse* in Scripturis de Deo dicitur Exod. III. *Ego sum qui sum; qui est, misit me ad vos* (2). Græce *ὁ ὢν*. Si igitur Deus dicitur *ens* secundum Scripturas, cur ejus natura non poterit dici *essentia*?

Ad hunc locum ridicule Transylvani respondent. Dicunt enim Deum posse vocari *ens*, sed non *essentiam*, quia si quis hominem aliquem vocaret humanitatem, ab omnibus rideretur. At non advertunt, Deum esse simplicissimum, et proinde dici de illo

nomina tam abstracta quam concreta: vocatur enim in Scripturis Deus verus, et veritas; sapiens et sapientia, justus et justitia; cur non eodem modo igitur dici potest *ens* et *essentia*? Sed neque id hoc loco contendimus, Deum posse vocari *essentiam*: sed illud solum, *essentiæ* nomen, quo Dei natura explicatur, non esse alienum a Scriptura, nec esse ut absurdum repudiandum. Ex hoc nomine sit *ὁμοούσιος*, id est, *ejusdem essentiæ*, quod nomen Ariani et veteres, et novi maxime oderant; tum quia extra Scripturas, tum quia novum illis esse videbatur. Et tamen utebantur ipsi nominibus multo magis novis, et quæ in nulla Scriptura reperitur, qualia sunt *ἑτεροούσιος*, id est, *alterius essentiæ*, et *ὁμοιούσιος*, id est, *similis essentiæ*.

Sed primam calumniam duobus modis Patres refutarunt. Primo demonstrarunt, nomen hoc non ideo esse rejiciendum, quod in Scripturis non sit, cum constat, in Scripturis sensum hujus nominis reperiri, dicente Domino Joan. X. *Ego et Pater unam sumus* (1). Ita respondit Aug. tract. 97. in Joann. et in disput. cum Pascentio. Secundo, Patres ostendere conati sunt, non esse hoc nomen alienum a Scripturis. Ac primum Ambrosius lib. III de Fide, cap. 7. probat hoc nomen non esse alienum a Scriptura, quia similibus vocibus Scriptura utitur. Dominus enim Luc. VI. *τὸν ἄρτον ἵψου ἐπιούσιον* dixit. Et Moses Deut. VI, XIV, et XXVI, vocat filios Israel *λαὸν περιούσιον*. Sunt autem plane similia *ἐπιούσιος*, *περιούσιος* et *ὁμοούσιος*: ut etiam Latina, *supersubstantialis* et *consubstantialis*. Cyrillus lib. I. de Trin. probat, *Homousion* non esse omnino extra Scripturam, cum deducatur ab *οὐσία*, et *οὐσία* deducatur ab *ὄντες*, et allegat hunc locum Exod. III. *Ego sum ὁ ὢν*.

Alteram calumniam de novitate hujus nominis multi Patres apertissime confutarunt, atque ostenderunt, non fuisse inventum hoc nomen in Nicæno Concilio ut ipsi Ariani olim jactabant, sed fuisse etiam antea in usu Patrum. Nam Dionysius Alexand. in apol. ad Dionys. Rom. ut Athanasius refert in ep. de sentent. Dionys. Alexand. dicit, se usum hoc nomine, quia etsi non invenitur in Scripturis, tamen est conforme his quæ in Scripturis de Patre et Filio dicuntur. Et rursum idem Athanasius in lib. de decret. Nicænae Synod. dicit, Arianos immerito conquiri de hoc nomine ex duobus Dionysiis

Roman. et Alexand. Item ex Theognosto, et Origene. Et rursum in I. de Synod. Arimini et Seleuc. dicit, Concilium Nicænum nihil novi statuisset, sed usum esse is vocibus, quibus majores usi fuerant. Theodoretus etiam in I. lib. hist. cap. 42. et 43. probat hoc vocabulum non esse novum, etiam testimonio Eusebii Casariensis, qui licet faveret Ariani, tamen confessus est in quadam epistola, antiquos et illustres Patres hoc nomine usos.

Ambrosius lib. III. de Fide cap. 7. scribit, Patres in Concilio Nicæno occasionem accepisse hujus nominis usurpandi ex verbis Eusebii Nicomediensis hæretici Ariani, qui scripserat in epistola quadam: «*Si verum Dei Filium et increatum dicimus, homousion cum Patre incipimus confiteri.*» «*Hæc, inquit Ambrosius, cum lecta esset epistola in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu Fidei posuerunt Patres, quod viderunt adversariis esse formidini.*» Vide igitur quam impudenter Ariani querebantur, novum esse nomen, quod ipsi antea usurpabant. Ex quo refellitur etiam mendacium Transylvanorum, qui lib. I. cap. 3. dicunt, in Concilio Nicæno introductum secundum Deum, Patri coessentialem, et proinde esse Deum recentem, et Patribus incognitum.

Sunt autem hoc loco duo notanda de hoc nomine. Primum est, non solum Ariani displicuisse hoc nomen, sed etiam quibusdam Catholicis propterea quod Patres Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum diserte negaverant, Filium esse Patri homousion, idque acciderat ante natam hæresim Arii. Quibus Athanasius in primis objicit auctoritatem Dionysii Romani et Alexandri qui antiquiores fuerunt Concilio illo Antiocheno, et Filium Patri homousion dixerunt. Deinde conciliat omnes ac dicit, Antiochenos Patres negasse homousion Patri esse Filium ad mentem Samosateni, non simpliciter. Samosatenus enim acceperat corporaliter hoc vocabulum, quasi significare, Filium esse Patri consubstantialem, quomodo est homo homini consubstantialis: ita ut due substantiæ sint, sed ejusdem speciei. De qua re loquitur etiam S. Hilarius in lib. de Synod. extr. «*Male homousion Samosatenus confessus est, sed nunquid melius Ariani negaverunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt, sed trecenti decem et octo nuper receperunt:*

(1) Rom. I, 20; Philipp. II, 6; II. Petr. I, 4. — (2) Exod. III, 14.

(1) Joan. X, 30.



illi contra hæreticum improbaverunt : numquid et isti non adversum hæreticum probaverunt? si et probando et improbando unum utriusque statuerunt, quid bene constituta convellimus?»

Notandum est secundo, hoc nomen divinitus inventum videri, siquidem destruit simul contrarias hæreses Arii et Sabellii. Nam, ut docet Athanasius in lib. de Synod. Prim. et Seleuc. et etiam Basilius in quadam epist. ad ancillas Dei, non dicitur homousios de iis, que quomodocumque habent similem essentiam, sed de iis tantum, quorum unum est ab altero, et ab illo recipit eandem essentiam. Sabellius fatebatur Patrem et Filium habere eandem essentiam, sed negabat unum esse ab alio. Ariani fatebantur Filium esse a Patre, sed negabant accepisse eandem essentiam. Unde Athanasius in lib. de decref. Nicæn. Synod. dicit, Arianos omnes alias voces tolerasse præter istam, quia omnes alias poterant trahere ad suum sensum, et ideo Nicænum Concilium in Symbolo, postquam dixerat Filium esse Deum de Deo, *Deum verum de Deo vero, genitum non factum, et ex substantia Patris natum*, animadvertisse, ista omnia eludi posse ab astutia Arianorum, et propterea addidisse, homousion Patri. Epiphanius quoque in Ancorato monet, aliud esse *συνούσιος* aliud *ὁμοούσιος*. Illud enim primum posse recipi etiam a Sabellio, hoc secundum non posse. Nam *synousion* significat unitatem sine distinctione, *homousion* significat unitatem cum distinctione, et processionem unius ab altero. Denique Ambrosius lib. III. de Fide cap. 7. « Recte, inquit, homousion Patri Filium dicimus, quia verbo eo et personarum distinctio, et naturæ unitas significatur. » Hæc ille.

Potest hoc illustrari ex antepredicamentis Aristotelis, ubi vocat *συνώνυμα*, quæ nos dicimus *univocis*, *ὁμόνομα*, quæ nos dicimus *æquivoca*. Ut enim univocum nomen est omnino unum et voce et significatione, ita *synousion* significat aliquid omnino unum sine distinctione, et quomodo æquivocum est unum voce, sed multiplex significatione; ita *homousion* est unum in essentia, distinctum in personis,

## CAPUT IV.

De vocibus *Hypostasis* et *substantia*.

*Hypostasis* significat primam substantiam, quam universe dicimus suppositum, et in natura intelligente personam. Distinguitur autem ab essentia, quod hæc significatur per modum formæ totalis in alio existentis: *hypostasis* autem significatur per modum totius, quod non in alio, sed in se et per se existit. Ex quo sequitur, *hypostasis* non addere ad essentiam aliquem gradum naturæ aut actum sed solum modum essendi. Illa, inquit S. Thomas p. p. q. XXIX, art. 2, et q. IX. de Poten. artic. 1. subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt. Ex quo iterum sequitur, essentiam esse communicabilem, *hypostasis* incommunicabilem; repugnat enim ut quod est in se sit in alio, nam esse in alio, est non esse in se. Ex quo ultimo sequitur, *hypostasis* superaddere essentiae proprietatem aliquam, id est, aliquid seu aliquem modum, ratione cuius fiat incommunicabilis. Quæ omnia deducuntur ex Basilio epist. 43. ex Nysseno in lib. de differ. essent. et *hypost.* ex Damasceno lib. III, cap. 3. ex Cyrillo lib. I. de Trinit. ex Justino in lib. de recta Fidei confess. et ex Theodoro in libello contra Sabellium, qui habetur Tomis Conciliorum in additionibus ad Breviarium S. Liberati.

Tametsi enim hi Patres non videantur aliam differentiam ponere inter essentiam et suppositum, quam eam quæ est inter speciem et individuum, ut inter hominem et Petrum: tamen iidem Patres apertissime profliterent (ut supra ostendimus lib. I. c. 3.) ita esse Deum unum numero non specie, ut tres divine *hypostases* non possint dici tria individua divina ratione naturæ, quasi tres sint individua Deitatis: sed solum tria ratione *hypostaticæ* proprietatis.

Hæc igitur vox, licet quibusdam suspecta videretur, ut quæ ad significationem substantiæ, id est, essentiæ trahi posset, ut patet ex Hieronymo in epist. duab. ad Damas. de *hypost.* ex Gregorio Nazianz. Orat. de laud. Athan. et ex Mario Victor. in lib. de homous. tamen omnino recipienda est, et tuto dici possunt in Deo tres *hypostases*.

Et probatur primo ex Apost. Heb. I. ubi dicitur de Filio: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* (1). Græce *ὑπαπόστασις τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, ubi nomine *hypostaseos* licet aliqui intellexerint essentiam, ut videtur exponere Epiphanius hæres. 69. tamen rectius alii accipiunt personam paternam, ut Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, et Eucumenius in Comment. hujus loci; necnon Basilius epist. 43. et Gregorius Nyssenus in lib. de differ. essentiae et suppositii, non enim Filius est imago essentiæ, sed personæ; illius enim est imago, cuius est Filius: imago enim distinguitur ab exemplari, ut res producta a producente.

Sed occurrit Franciscus David, in 2. disp. Alb. ubi volens ostendere, Paulum non posse in Deo personam, adfert alia loca ejusdem epistolæ, ubi nomen *hypostasis* non accipitur pro persona, seu supposito, Heb. III. *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem retinuerimus*. Græce pro substantia legitur *ὑποστάσις*. Et Heb. XI. *Est autem Fides sperandarum substantiarum rerum* (2). Græce *ὑπόστασις*.

Respondeo; hæc loca pro nobis facere. His enim locis explicatur nomen *hypostasis* in genere significare fundamentum seu basim, quæ alia sustentat, et ipsa per se subsistit. Quemadmodum etiam II. Corinth. IX. et XI. idem Apostolus fundamentum gloriæ vocat *ὑπόστασις τῆς κληρονομίας*. Hinc autem postea hoc nomen traducitur, et accommodatur ad Fidem, quia Fides est fundamentum justitiæ, et non solum ipsa per se existit, sed etiam dat subsistentiam rebus speratis, quæ enim speramus in se non sunt, sed per Fidem quodammodo jam existere videntur. Hinc etiam accommodatur ad suppositum, seu personam, quæ est fundamentum naturæ, et omnium quæ ad naturam consequuntur: omnia enim in persona existunt, et ipsa per se existit. Quando ergo dicitur, Filius imago *hypostasis* paternæ, non potest aliud eo loco *hypostasis* significare, quam personam Patris, quæ quia per se existit, et in ea essentia, et omnia attributa, et ipsæ etiam relationes subsistunt, ideo fundamentum et basis dici potest.

Secundo probatur ex usu Ecclesiæ et Patrum; nam Dionys. lib. de divin. nomin. cap. 4. et alibi, vocat tres personas tres *hypostases*. Idem facit Justinus in lib. de recta

Fidei confess. Idem Athanasius in Symb. idem omnes Græci Patres, et Concilium V. cap. 1. Item Hilar. lib. de Syn. et Aug. I. V. Trin. cap. 8 et 9. lib. VII, cap. 4. Denique Greg. Nazianz. Orat. de laud. Athan. fere extrema refert, Athanasium demonstrasse idem omnino sentire Græcos, cum asserunt in Deo tres esse *hypostases*, cum eo quod Latini sentiunt, cum dicunt tres esse divinas personas, et sine causa Latinos aliquando offensos fuisse ea Græcorum phrasi, cum de re nulla dissensio esset.

Nec his repugnat Concilium Sardicense apud Theodor. lib. II, cap. 8. ubi legitur, hæreticorum esse, tres *hypostases* asserere: Catholicorum autem unam tantum. Nam Concilium idem ibidem explicat sententiam suam affirmans, unam tantum esse in Deo *hypostasis*, si *hypostasis* accipitur pro essentia, ut hæretici accipere solent. Sed operæ pretium erit, ipsa verba Græca Concilii adscribere, ne hic ullus scrupulus remaneat. Sic igitur ait: *ἡμῖς ταύτην παράδοξον, καὶ διδασκαλίαν καὶ τούτων ἔργων τὴν καθόλου παράδοξον καὶ πίστιν καὶ ὁμολογίαν, μὴν εὐδυνόστατον, ἢν αὐτοὶ οἱ ἀρχαῖοι ὁσίου προσηγορεύοντο τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἁγίου πνεύματος.*

Obji iunt Transylvani lib. I, cap. 8. auctoritatem Nicephori, qui lib. X hist. c. 15. hæc dicit de nomine *hypostasis* et usiæ. Primum, primum qui mentionem fecit horum nominum in disputationibus de Deo, fuisse Hosium Cordubensem, quem miserat Constantinus Alexandriam ad sedandos tumultus ab Ario excitatos. Secundo, Concilium Nicænum noluisse attingere istam questionem de differentia essentiæ et substantiæ, et substantiæ indignam quæ tractaretur. Tertio, Concilium Alexandrinum paulo post Nicænum celebratum statuisse, ut non dicerentur ista nomina de Deo, quandoquidem substantiæ et substantiæ nomen non est in Scriptura. Quarto, apud veteres Philosophos nomen *hypostasis* non reperiri, esseque barbarum. Quinto, ex hujus distinctionis inventionem multa nagamenta in Ecclesiâ invecata: et breviter, aperte reprehendit usum horum vocabulorum.

Respondeo: Nicephorum ea quæ dicit accepisse a Socrate lib. III, cap. 5. et Sozomeno lib. V, cap. 11. qui auctores non tam ipsa nomina reprehendant, quam novam questionem de distinctione earum vocum.

(1) Hebr. I. 3. — (2) Hebr. III, 14; XI, 1.



Haec etsi forte Hosius primus fuit, qui de hac distinctione disseruit: non tamen ipse primus haec nomina excogitavit, siquidem inveniuntur apud Dionysium et Justinum locis citatis, et apud ipsum Paulum nomen hypostasis, et de nomine homousios, quod ad usum descendit, jam ostendimus antiquissimum esse. Porro Concilium Nicænum, licet quaestionem non explicaverit de differentia essentiae et subsistentiae: tamen ab his vocibus non abhorruit, ut patet ex Symbolo, quod est apud Cyrillum lib. I, de Trin. et habetur Graece etiam in Latinis codicibus, in eo enim Symbolo utrumque nomen est *ὁμοῦς* et *ὁμοουσιος*. Jam vero Concilium Alexandrinum non prohibuisse usum harum vocum absolute, sed solum sustulisse contentiones non necessarias, ex eo aperte colligitur, quod iidem auctores referunt, in eodem Concilio statutum fuisse, ut his vocibus Catholici uterentur in disputatione adversus Sabellianos, ne vocabulorum penuria cum Sabellianis sentire viderentur.

Quod autem Socrates et Nicephorus addunt, vocem *ὁμοουσιος* barbaram esse, et Philosophis pene incognitam, et quod Nicephorus nugamenta appellat disputationes de distinctione horum vocabulorum, non multum refert: nam hanc ipsam vocem non fuisse incognitam Philosophis veteribus, patet ex Comment. Badæi, qui citat Aristotelem et Themistium, nobilissimos videlicet Philosophos, qui voce *ὁμοουσιος* non raro usi sunt. Et licet nulli Philosophi unquam ea voce usi essent, nonne satis nobis deberet esse, quod ea voce utuntur Paulus, Concilium Nicænum, et omnes Graeci Patres? Non esse autem nugamenta disputationes de *ὁμοουσιος*, patet ex Basilio epist. 43, qui dicit, ex ignorantia hujus distinctionis natum esse plurimorum errorem circa Dei conditionem: et praeterea si haec nugamenta essent, cur Justinus, Cyrillus, Basilius, Nysseus, Theodoretus, Damascenus, et alii tam multa de hac re et tam serio disputassent?

Jam vero nomen Substantiae ambiguum est: nunc enim hypostasim, nunc essentiam significat, quocirca in rigore possent dici in Deo tres substantiae ut Hilarius concedit in lib. de Synod. ubi explicans Fidem Antiocheni Concilii, dicit, non male dici tres substantias, accipiendo substantiam non pro *ὁμοουσιος*, sed pro *ὁμοουσιος*, praesertim cum hoc vocabulo usus sit vulgatus Interpres epist. ad Heb. I, III et XI, tamen absolute negan-

dae sunt in Deo tres substantiae, et una asserenda, quia usus communis Latinorum accipit substantiam pro essentia: nam semper Aristoteles in praedicamento substantiae *ὁμοουσιος* vocat, quam nos dicimus substantiam. Praeterea Tertullian. lib. cont. Prax. semper in Deo unam substantiam dicit. Item Hier. in epist. ad Damas. et August. lib. V. Trin. cap. 9. et lib. VII, cap. 4. Et Rufinus lib. X. hist. cap. 29. unam substantiam dicunt, tres negant. Denique etiam Concilium Lateranense sub Innoc. III. cap. 2. et Toletan. II. cap. I. unam substantiam in Deo esse definiunt.

## CAPUT V.

## De cæteris vocibus.

De nomine, Personæ, nota est Vallæ sententia lib. VI. Elegant. c. 34. qui personam asserit qualitatem significare. Dicimus enim, agere aliquem personam Regis etc. et addit; si persona pro substantia accipiatur, non esse in Deo personam magis quam in bruto. Ac denique dicit: quas in Deo Theologi personas ponunt, eas esse tres qualitates.

Sed male agit Vallæ personam Theologi: nam in Deo persona est, in quo tamen nulla est qualitas: vel si placeat in Deo ea nomine qualitatis appellare, qua per modum qualitatis significantur, non jam tres, sed infinite personæ divinae numerandæ erunt, aut una tantum constituenda. Si quidem ea quæ aliquo modo in Deo qualitates dici possunt, non re, sed ratione solum distinguuntur: quare si personales proprietates in Deo, qualitates sunt, una erit persona divina ipsa, plures autem ratione. Id si Vallæ placeat, præclare aget idem Vallæ personam Sabelliani.

Quamvis igitur sciamus, personæ nomen sæpe accipi pro qualitate, et pro larva histriionum: tamen etiam pro substantia prima a Scripturis et Patribus accipi non ignoramus. Nam in Scripturis passim legimus, Deum non esse acceptatorem personarum ut Act. X, Rom. II, et alibi, in quibus locis persona significat ipsam hypostasim humanam. Nam ut explicat Augustinus lib. II ad Bonif. cap. 7. tunc est acceptio personarum

in distributione præmiorum, quando qui distribuit non respicit merita hominum, sed ipsos homines, id est, tribuit plus uni quam alteri, non quia ille plus meretur, sed quia illam personam plus diligit. Praeterea Patrem, Filium, et Spiritum sanctum tres personas vocat Tertullian. lib. contra Praxeam. Hilar. lib. de Synod. Hieron. in epist. ad Damas. August. lib. V et VII de Trinit. et ex Graecis Nazianz. in Orat. in Athanas. et alibi sæpe vocat *πρόσωπα*.

Ac ne gloriatur Vallæ, se saltem personam Grammatici probe egisse, prodeat etiam M. Tullius qui lib. de Invent. in Topicis et Partitionib. sæpe utitur nomine personæ in hac nostra significatione cum dicit, alia esse rerum, alia personarum attributa, et rursus personam in Deo, et in homine considerari. Item Valer. Maxim. lib. II, cap. 21. quoslibet homines personas vocat. Et in Institut. Justin. quæ Latinissima est lib. II, tit. 9. in hac significatione ponitur persona. Quid, quod ipsi etiam Grammatici cum in verborum inflexionibus distinguunt tres personas, Primam, Secundam, et Tertiam; non qualitate intelligunt nomine personæ, sed res quascumque inter se distinctas?

Proprietates, Relatio, Notio non sunt nomina Scripturarum, tamen ex Scripturis colliguntur, per evidentem consequentiam. Nam si Filius est unigenitus Joan. I, ergo proprium est illi esse Filium, et proinde filiatio est proprietates. Et si unus est Deus Pater I. Corinth. VIII, ergo proprium est Patri esse Patrem, et paternitas erit proprietates. Et si solus Spiritus a Patre et Filio procedit (1). Joan. XIV, talis processio erit proprietates ejus. Utuntur autem nomine proprietatum Hilarius lib. II. Trin. Basilius epist. 43. Nazianzenus Orat. 3. de Theolog. Augustinus lib. V Trin. cap. 11, 13, et sequentibus, Cyrillus lib. I Trinit. et omnes alii.

Pari ratione, si Christus est verus Filius veri Patris I. Joan. V, certe erit relatio vera inter Patrem et Filium; nec enim fingi potest, quemadmodum sit verus Filius, qui nullam habet veram relationem ad Patrem. Utuntur autem hoc nomine iidem Patres, maxime Nazianzenus et Augustinus.

Denique, si Pater a Filio distinguitur secundum Scripturas; cur non potest paternitas dici notio Patris, id est, nomen quo Pa-

ter distinctus cognoscitur a cæteris personis? Utuntur autem hoc nomine Basilius epist. 43. et August. lib. V. Trin. cap. 6. et inde acceperunt Scholastici, qui quinque numerant notiones, Innascibilitatem, Paternitatem, Filiationem, Spirationem activam, et Spirationem passivam; ex quibus quatuor tantum dicuntur proprietates, nimirum Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva. Quatuor item relationes, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva. De quibus fœsus disputare non est hujus loci.

Circuminsessio, Graece *περιχώρησις*, dicitur illa intima et perfecta inhabitatio unius personæ in alia, et e converso, de qua dicitur Joan. XIV. *Ego sum in Patre, et Pater in me est* (2). De quo mysterio singulari disputant Hilarius lib. IV de Trin. Ambrosius in caput 43. II. ad Corinth. et Augustinus lib. IV de Trin. cap. ult. qui tandem ita concludit: « Singula sunt in singulari, et omnia in singulari, et singularia in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum et in ænigmate, gaudeat cognoscens Deum, et sicut Deum honoret, et gratias agat: qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitate, (ut nunc Transylvani faciunt) ad calumniandum. Quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas: nec confuse accipiendum est: Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: nec Diis multis, sed ipsi gloria in secula seculorum. » Utitur autem voce *περιχώρησις* Damascenus lib. I, cap. 11. Et ex illo Scholastici Circuminsessionem appellare consueverunt.

Trinitas, Graece *Τριὰς*, non habetur etiam expresse in Scripturis: tamen deducitur evidenter ex illo Matth. ultimo: *Baptizate omnes Gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Et I. Joan. V. *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus* (3). Et utuntur hoc nomine omnes Patres, etiam antiquissimi, ut Dionysius I. cap. de divina. nomin. et alibi sæpe. Item Justinus de recta confess. Fidei. Gregorius Thaumaturgus in sua Fidei confessione. Tertullianus lib. contr. Prax. Cyprianus serm. de Orat. Dom. et omnes posteriores.

Est autem observandum, Trinitatem non

(1) Joan. I, 14 et 18; I. Cor. VIII, 6; Joan. XV, 26. — (2) Joan. XIV, 10. — (3) Matth. XXVIII, 19; I. Joan. V, 7.



significare trium unitatem, ut putavit Valentinus Gentilis, sed simpliciter ternarium personarum, ut patet tum ex Græca voce Τριάς tum ex illa Symboli Athanasii sententia: *Trinitatem in Unitate veneremur*. Quam absurde enim diceremus: *Trium Unitatem in Unitate veneremur?* Deinde, si vox: *Trinitas*, Unitatem expresse significaret, quomodo non reprehendendi essent Patres, qui opponunt Unitatem Trinitati, ac dicunt in essentia Unitatem, in personis Trinitatem considerari: item in Trinitate numerum corni, in essentia quid numeratum sit non inveniri? Fulgentius de Fide ad Petrum cap. I. « Trinitas, inquit, ad personas refertur, Unitas ad naturam. » Conellium Toletanum XI, cap. I. « In relationibus personarum numerus emittitur; in Divinitatis vero substantia quid numeratum sit non comprehenditur. » Quod illic fuse explicat Isidorus lib. VII, etymolog. cap. 4, et lib. de different. c. I. Sanctus autem Thomas I. p. q. 31. art. 4 etsi dicat, Trinitatem videri dictam quasi trium unitatem, si quis sonum vocis consideret; tamen ibidem affirmat, non hoc proprie ea voce significari, sed solum numerum trium personarum.

Est etiam observandum, non recte Genebrardum lib. II de Trinitate tribuere Calvinum quod dixerit in personis non comprehendenti essentiam. Nam ut perspicuum est ex libro de perfidia Valentini Gentilis Genevæ excuso, et ex ipso etiam loco, quem Genebrardus adducit, id est lib. I. Institut. cap. 13. § 25. Valentinus dixerat, Trinitatem esse trium Unitatem, et illa tria esse declaraverat Essentiam, Filium, et Spiritum sanctum, quibus verbis essentiam posuerat loco primæ personæ, et eam numeraverat cum aliis duabus. Hæc enim sunt verba Gentilis: « Tria, inquit, concurrunt in Trinitate, Essentia, quæ dicitur Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Atque hæc est vera Trinitas, quæ est trium Unitas, non quatuor: quidquid dicat dominus Calvinus de etymo. » Hoc vero delirium refellens Calvinus, ait, in Trinitate non comprehendenti essentiam, quasi una sit ex numero trium, sed includi in omnibus tribus, quod quidem verissimum est: atque utinam semper sic erraret Calvinus. Hæc autem diximus non ut Calvinum defendamus, quem in nostris scriptis oppugnare solemus, sed ut non videatur excusari Genti-

lis, qui vere et solus erravit, sed Genebrardus, Catholicus et pius non advertit, quia librum Gentilis fortasse non legit.

## CAPUT VI.

*Ostenditur distinctio personarum.*

Quantum ad secundum, probandum est, in Deo uno et simplici vere inveniri tria reipsa distincta, quæ nos personas, seu hypostases dicimus. In qua reali distinctione trium fundantur illa omnia, de quibus jam legimus, id est, personæ, proprietates, relationes etc. Magister I. I. dist. 2. et multi alii afferunt pro argumento, quod Scriptura conjungat nomen Dei plurale cum verbo singulari, ut Gen. I. *In principio creavit Dñi*, אֱלֹהִים ברא Psalm. XXXVI. *Dominus irridebit eum* (1) דַּבַּר יְהוָה Domini ridebit Sed non puto argumentum esse admodum solidum; siquidem Scripturæ consuetudo id habere videtur, ut nomina illustrium personarum ponantur in numero multitudinis, licet verba retineant numerum singularem. Quam consuetudinem nos Itali ex parte imitamur, dum viris gravibus non dicimus Tu, sed Vos, licet unum, non multos alloquamur.

Ac ne id quod dico Rabbinismum redolere videatur, a quo ego longe ahesse cupio, proferam rationes sententiæ meæ. Moveor igitur his rationibus. Primo, quia video in Scriptura hoc idem fieri, quando est sermo de hominibus, aut falsis Diis, ut Exod. XX. *Non habebis Deos alienos*: in Hebræo, non erit tibi Dñi alii אֱלֹהִים אֲחֵרִים Genes. XXIV. *Posuit manum sub femore Abraham domini sui*: in Hebræo, est יָרַח אֱבִירָה דֹּמִינוֹ suorum Exod. XXI. *Sin uxorem dominus dederit illi*: Hebraice *Si dederit domini ejus* (2) וְיָרַח אֱבִירָה at certe si quid mysterii hic lateret, non ita passim nomina pluralia cum verbis numeri singularis conjungerentur. Secundo, quia si ista vocabula haberent significationem pluralem, liceret dicere, esse plures Deos veros. Quis enim reprehenderet, si in hoc Scripturam sequeremur? Cur enim quæso, liceat Hebraice divinas personas ap-

pellare Deos, et hoc idem non liceat Latine.

Dices: Scriptura non ponit nomen Dei in plurali, nisi conjungendo cum verbo singulari. Respondeo: hoc non esse verum; nam II. Reg. VII. ubi legimus: *Quæ est autem ut populus Israel gens in terra, propter quam venit Deus ut redimeret* etc. Hebraice legimus אֱלֹהִים וְיָרַח דַּבַּר דְּנִי (1). Et alibi similia multa reperies. Hoc igitur est, quod quæro, quare liceat Hebraice de divinis personis dicere *iverunt Dñi*, et Latine non liceat? Certe nulla alia ratio est, nisi quia Hebræorum consuetudo est, ut nomen plurale rem singularem significet: Latini autem ejusmodi consuetudinem non habet.

Tertio, quia nunquam Septuaginta, nec Hieronymus vertit *Dñi*, nec ullus ita vertere audeat. Quod est argumentum, pluralem significationem in his locis ea nomina non habere sed singularem.

Quarto, quia si nomen Dei in textu Hebraico haberet pluralem significationem ubicunque invenitur in numero multitudinis, esset apertissima et frequentissima contradictio in verbis divinæ Scripturæ. Siquidem frequentissime legimus, unum tantum esse Deum, et tamen frequentissime etiam legimus *Deos*. Non est autem credibile, voluisse Deum his apparentibus contradictionibus perturbare populum suum, et occasionem blasphemandi præbere adversariis.

Igitur his omissis, primum Argumentum et quidem demonstrativum est hoc. Qui accipit esse ab alio, necessario ab eo distinguitur re ipsa, nec enim fieri potest, ut aliquis producatur a seipso: sed Filius accipit esse a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque; ergo distinguuntur re ipsa inter se Pater, Filius, et Spiritus sanctus.

Rursus. In Deo nihil potest fingi inhaerens seu non subsistens, quia in Deo nullum est accidens, nulla compositio; ergo hæc tria cum sint re distincta, sunt tria subsistentia, et proinde tres hypostases, seu personæ.

Probanda est assumptio primi argumenti ex Scripturis: nam per se cætera sunt evidentia. Ac Filium quidem habere ipsum suum esse a Patre; probatur primo ex illo Prov. VIII. *Dominus possedit me*, id est, *acquisivit per generationem*: id enim significat

vox Hebræa נָסַב. Et ne dicant intelligi hoc de Christo homine in prædestinatione, seu prævisione generato ante colles; ibidem dicitur: *Cum eo eram cuncta componens* (2).

Nec enim is, qui solum habebat esse in prædestinatione, poterat cum Patre Mundum creare: quod enim habet esse solum in prædestinatione, non est, sed futurum est: quod autem non est, operari non potest; igitur Filius Dei qui cum Patre cuncta composuit, in principio Mundi jam erat, et tamen per generationem a Patre acceperat esse.

Præterea Eccles. XXIV. dicitur: *Sapientia primogenita ante omnem creaturam*. Item Jo. V. *Dedit Filio vitam habere in semetipso*. Nec dici potest, hoc esse intelligendum de Christo homine; repugnat enim illud: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*. Ubi docemur, vitam datam esse Filio a Patre, non quomodo vitam habent creaturae, sed quomodo ipse Pater habet. Item Col. I. dicitur Filius *imago, primogenitus Dei*: utrumque autem nomen includit necessario distinctionem et processionem. Nec potest intelligi de Christo homine, quia ibidem dicitur de hoc primogenito: *In ipso, et per ipsum condita sunt universa*. Item Heb. I. vocatur Filius splendor et figura paternæ hypostasis, quæ omnia dicunt processionem. Et ne hæc trahantur ad humanitatem, additur ibidem: *Per quem fecit et sæcula*. (3).

Denique I. Jo. V. legimus: *Et simus in vero Filio ejus*. Certe verus Filius a Patre est natus vere: et ne dicant, hoc pertinere ad solum hominem Christum, subditur: *Hic est verus Deus, et vita æterna*. Itaque de Filio res est certissima, habere illum esse a Patre, ac propterea distingui re ipsa a Patre. De Spiritu sancto probabitur postea in questione propria. Interim sufficiat illud Jo. XV. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, quæ a Patre procedit* (1). Hic enim expresse dicitur, Spiritus sanctus procedere a Patre, et proinde ab illo distingui. Dicitur etiam mitti a Filio, et proinde etiam ab illo distingui: missib enim in divinis non potest intelligi, nisi secundum processionem, ut supra dictum est, et infra etiam di-etur.

Secundum argumentum sumitur ex voce

(1) Gen. I. 1; Psal. XXXVI, 13. — (2) Exod. XX, 3; Gen. XXIV, 9; Exod. XXI, 4.

(1) II. Reg. VII, 23. — (2) Prov. VIII, 15 et 30. — (3) Eccl. XXIV, 5; Joan. V, 26; Coloss. I, 15; Heb. I, 2. — (4) I. Joan. V, 20; Joan. XV, 26.



Alius. Scriptura siquidem vocat Patrem alium a Filio, et Spiritum sanctum alium ab utroque. Quod quidem apertam distinctionem, et quidem realem indicat. Jo. V. Filius de Patre loquens: *Alius*, inquit, est, qui testimonium perhibet de me. Et Jo. XIV. de Spiritu sancto: *Alium*, inquit, *Paracletum dabit vobis*. (1). Non autem diceremus de una persona, alius est Marcus, alius Tullius, alius Cicero: nec de eodem, alius est Orator, alius Consul, alius Imperator. Est tamen observandum cum S. Fulgentio in lib. de object. Arian., Patrem, Filium, et Spiritum dici alium: et alium, et alium: non aliud, et aliud, et aliud: siquidem aliud distinctionem in essentia, alius distinctionem in persona significat. Quare Joan. X. Christus ait: *Ego et Pater unum sumus*, non, *aliud sumus*. (2).

Tertium argumentum sumitur ex particulis quibusdam denotantibus distinctionem, ut *Apud, Cum, In, Et, Proverb.* VIII. *Cum illo eram cuncta componens*. Joan. I. *Et verbum erat apud Deum*. Ibidem: *Unigenitus qui est in sinu Patris*. Jo. XIV. *Ego sum in Patre, et Pater in me est*. Matth. ult. *Baptizate omnes in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti*. Isa. XLVIII. *Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus*. Et Eph. II. *Per ipsum (Filium) habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem*. (3). Nam si Pater, Filius, et Spiritus sanctus essent sola nomina, et non res, essent omnino synonyma, quomodo M. T. Cicero. At quis diceret, Marcus erat cum Tullio, vel apud Tullium, vel in Tullio? vel Marcus et Tullius hoc fecerunt? vel per Marcum habemus accessum ad Tullium in Cic.

Dicent: Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non esse sola nomina, sed Patrem esse verum Deum, Verbum autem et Spiritum sanctum esse virtutes, sive attributa Dei Patris; ratione tamen, non re distincta ab ipso. At nec de virtutibus, seu attributis ejusmodi sententiae vere dici possunt. Quis enim diceret: sapientia est apud intellectum? vel sapientia cum intellectu hoc fecit? vel homo et manus ejus hoc fecerunt? Confitemur est igitur, aut Scripturam ineptissime loqui, aut veram esse distinctionem inter Patrem, Filium, et Spiritum sanctum.

Quartum argumentum ex eo sumitur, quod

Scriptura inducit Deum loquentem in numero multitudinis, vel loquentem de Deo tanquam de alia persona. Genes. I. *Ait Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram*. Genes. III. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*. Genes. XII. *Venite descendamus, et confundamus linguam eorum*. Genes. XIX. *Pluit Dominus a Domino*. Osee I. *Dixit Dominus, salvabo eos in Domino Deo suo*. Zach. III. *Dixit Dominus ad Satan, increpet Dominus in te Satan* (4). Et licet Rabbinii haec omnia eludant dicentes, esse phrases linguae etc. et difficile sit eos convincere: tamen apud Catholicos habent suam auctoritatem, quia Patres passim his argumentis utuntur. Et Concilium Sirmiese apud Hilarium lib. de Synod., dicit anathema his, qui aliter explicant loca citata ex Genesi. Præterea habemus alia loca in Testamento novo, quae nulla ratione possunt eludi. Joan. X. *Ego et Pater unum sumus*. Et Jo. XIV. *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (5). Nec enim una et eadem persona, quae plura nomina vel officia habeat, vere dicere potest ratione eorum nominum vel officiorum, nos faciemus, aut nos veniemus. Siquidem facere et venire personarum est, non nominum, aut officiorum, et quis non rideret, si legeret dixisse Ciceronem: Ego et Tullius veniemus?

Quintum argumentum sumitur ex eo, quod Scriptura saepe de Deo loquens, ternario numero utitur. Exod. III. *Ego sum qui sum, qui est misit me ad vos*. Ibidem: *Deus Patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*. Num VI. *Sic benedicetis filiis Israel: Benedicat tibi Dominus, et custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi et miseretur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem*. Deut. VI. *Dominus Deus noster Deus unus est*. Psalm. LXXVI. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ*. Psalm. CXXXV. *Confitemini Domino, quoniam bonus: confitemini Deo Deorum: confitemini Domino dominorum*. Isa. VI. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus* (6).

Ubi notandum est cum Theodoro lib. II. ad Graec., Deum in Testamento veteri noluisse proponere mysterium Trinitatis ex-

presse, quia Judaei incapaces erant, et quia recens exierant de Aegypto, ubi colebantur multi Dii, et intraturi erant in terram Chanaan, ubi etiam multi habebantur Dii; ne videlicet putarent, sibi etiam tres Deos proponi colendos: voluisse tamen Deum adumbrare hoc mysterium, idque multis modis, ut eum in Testamento novo predicaretur, non videretur omnino novum, vel repugnans Testamento veteri.

Sextum argumentum ex numeris binario et ternario in Scriptura expressis. Jo. VIII. *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater: ubi aperte se et Patrem duos testes facit*. Et Jo. XV. de Spiritu sancto addit: *Ille testimonium perhibebit de me: atque ita sunt tres*. Et I. Jo. V. *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus* (1).

Ultimo addi possunt congruentiae naturales, quae non demonstrant Fidem, sed ea supposita ostendunt, id quod asserimus non esse contra rationem: quas congruentias non prosequar fusius, sed solum indicasse contentus ero, ne videamur in ejusmodi rationibus Fidei nostrae fundamentum collocare.

Igitur prima est. Summi et infiniti boni est se summe et infinite communicare: non autem Deus infinito ac summo modo se communicavit in productione creaturarum. Secunda. Perfecta beatitudo comprehendit omnia bona: et unum, et quidem insigne bonum est consortium aequalium personarum. Tertia. Generare sibi simile est perfectio, quae non debet abesse a Deo, qui est undequaque perfectus. Quarta. Melius est ab aeterno Deum aliquid produxisse, quam otiosum fuisse. Quinta. Quia invenitur una natura in una hypostasi, ut in quolibet Angelo; plures in pluribus, ut in multis Angelis: plures in una, ut in homine, ubi duae naturae, anima et caro, una spiritualis, altera corporalis; in unam hypostasim humanam conveniunt igitur credibile est, esse quoque unam naturam, id est, divinam in pluribus hypostasibus, hoc est, in Patre, in Filio, et in Spiritu sancto. Sexta. Ratio sumitur ex vestigiis quae Deus impressit quodammodo in creaturis, de quibus vestigiis

disserit Sanctus Augustinus a lib. IX de Trinit., usque ad XV.

Itaque res omnes ita affectant numerum ternarium, ut plane omnia clamare videantur, auctorem suum esse Trinitatem, quae omnia fecit in pondere, numero, et mensura. Primum igitur tres solae sunt passiones omnibus rebus communes, unum, verum, bonum. Deinde tota rerum universitas distribuitur in partes tres; quidquid enim est, aut spirituale est, aut corporale, aut mixtum ex utroque. Res spirituales in tres hierarchias dividuntur: singulae hierarchiae in tres ordines: singuli vero spiritus angelici non tam vestigium, quam imaginem Trinitatis referunt, cum tribus sint praediti facultatibus, memoria, intelligentia, voluntate; atque in eis ex mente nascatur notitia, ex notitia amor procedat. Porro in rebus corporalibus pene innumerabilia reperitur vestigia Trinitatis; sed ea persequi nimis longum, minimeque necessarium hoc loco esse videtur. Nunc ad argumenta adversariorum diluenda veniamus.

## CAPUT VII.

*Dilatur argumentum primum contra distinctionem personarum in eadem essentia.*

Primum argumentum est Valentini Genitilis. Qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus: sed unus Deus in essentiam gignit, nec gignitur, nec procedit; ergo unus Deus in essentia non est verus Deus: sed Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt per vos verus Deus; ergo non sunt unus Deus in essentia. Propositio primi syllogismi ita probatur. Nullus est Deus præter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum: sed Pater gignit, Filius gignitur, Spiritus sanctus procedit; ergo qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus. Assumptio ejusdem primi syllogismi probatur hoc modo. Deus in essentia nihil est aliud quam ipsa essentia communis tribus: essentiam autem non generare, nec

(1) Joan. V, 32; Ibid. XIV, 16. — (2) Joan. X, 30. — (3) Prov. VIII, 30; Joan. I, 2 et 18; Joan. XIV, 10; Matth. XXVIII, 19; Isa. XLVIII, 16; Eph. II, 18. — (4) Gen. I, 26; Ibid. III, 22; Ibid. XI, 7; Ibid. XIX, 24; Ose. I, 7; Zach. III, 2. — (5) Joan. X, 30; Ibid. XIV, 23. — (6) Exod. III, 41 et 16; Num. VI, 22 et seq.; Deut. VI, 4; Psal. LXXVI, 1 et 2; Isa. VI, 3.

(1) Joan. VIII, 17 et 18; Ibid. XV, 26; I. Joan. V, 7.



generari, nec procedere, Sententiarum docent.

Ad hoc argumentum Joannes Wigandus lib. cont. nov. Arian., non potuit respondere, nisi negando essentiam non generare, nec generari, quidquid dixerint Sententiarum: et afferit hanc, ut ipsæquidem putat, demonstrationem. Filius Dei est genitus secundum Scripturas: et Filius Dei est essentia quædam viva, non figmentum secundum Scripturas; ergo essentia secundum Scripturas gignitur, et proinde etiam gignit. Quo argumento proposito quasi uno ictu omnes Sententiarum prostravisset, subjungit: Mulier, id est, ratio in Ecclesia taceat.

At profecto Wigandus non solvit argumentum, sed incidit in gravissimum errorem: nam si essentia gignit et gignitur; ergo duæ sunt essentiae, nec enim intelligi potest unum et idem a seipso produci. Et ne dicat, hoc non esse secundum Scripturas, cogitet, nos non aliter probare ex Scripturis Patrem et Filium esse distinctos ipsa re, quam quia unus ab alio producitur.

Recte igitur Concilium Lateranense cap. 2. definit, essentiam non gignere nec gigni. Nec argumentum Wigandi aliquid concludit, sed laborat fallacia accidentis: nam Filius licet includat essentiam, tamen distinguitur ratione ab ea propter relationem, quam dicit præter essentiam; et quatenus ab ea distinguitur, convenit ei generari, quod non convenit essentiae. Quemadmodum Pater includit eandem essentiam, sed distinguitur ab ea ratione propter relationem paternitatis, quam habet præter essentiam; ideoque Pater generare dicitur, essentia non dicitur. Similis fallacia esset si diceret: Homo est species; Petrus est homo; igitur Petrus est species. Vel Petrus est individuum: et Petrus est homo; ergo homo est individuum.

Ad argumentum principale potest distinguere propositio: nam cum dicitur, qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus; si vox Deus accipiatur pro persona divina in communi, propositio est vera: nam qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est persona divina: tum vero si in assumptione per unum Deum in essentia intelligatur ipsa essentia, vera est etiam assumptio. Sed inde tantum concluditur, essentiam non esse personam divinam formaliter, non autem concluditur, essentiam non esse verum Deum.

Si tamen unus Deus accipiatur in assumptio-

ne, ut verba sonant, hoc est, pro personis in communi, tunc assumptio est falsa. Nam verum est dicere, unus Deus in essentia gignit, gignitur, et procedit. Nam ille unus Deus est Pater qui gignit, est Filius qui gignitur, et est Spiritus sanctus qui procedit. Si vero vox Deus in propositione accipiatur pro Deitate, sicut potest accipi, quia in Deo non distinguitur persona a natura; propositio est falsa, ut patet, nec probatio concludit. Nam essentia non est Deus, præter tres personas: et tamen non gignit, nec gignitur, nec procedit, quia distinguitur ratione a personis, quibus proprie convenit gignere, gigni et procedere.

## CAPUT VIII.

### *Dubitatur argumentum secundum.*

Secundum argumentum est Transylvanorum lib. I, cap. 5. Si tres personæ sint unum in essentia, erit in Deo quaternitas, non Trinitas: nam Essentia, Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt quatuor nomina, et non synonyma; ergo quatuor res significant. Item Pater, Filius, Spiritus sanctus sunt tres: sed Essentia nihil est horum, nam essentia non est Pater, quia non genuit, nec Filius, quia non est res genita, nec Spiritus, quia non processit; est igitur quartam aliquid.

Præterea Essentia est fons personarum, ab illa enim emanant relationes, et proinde personæ, quæ relationibus constituuntur: at fons, et rivuli distinguuntur realiter; ergo Essentia distinguitur realiter a tribus personis; ergo cum illis facit numerum quaternarium.

Præterea Papiste in Symbolo, post illa verba *Credo in unum Deum*, ponunt virgulam, ne cogantur dicere *Credo in unum Deum Patrem*; ergo distinguunt Deum a Patre: sed infra etiam distinguunt Patrem a Filio, et Filium a Spiritu sancto; ergo sunt quatuor.

Præterea Papiste dicunt, tres personas in uno Deo residere, et unum Deum se in tribus personis manifestasse: at quis est ille Deus? Certe non Pater, non Filius, nec Spiritus: nullus enim horum se in tribus personis manifestavit, nec in ullo horum tres per-

sonæ resident: igitur est quartus quidam Deus.

Respondeo: nullam nos quaternitatem in Deo constituere; quin potius anathema dicere eis, qui quaternitatem pro Trinitate colunt. Nec argumenta proposita nos quidquam movent. Respondemus enim ad primam rationem: illa nomina non esse synonyma, nec tamen significare quatuor res, sed unam tantum, si de re absoluta dicatur: vel tres tantum, si de relativis: id quod indicare videtur Augustinus lib. I, de doctr. Christ. c. 5. cum ait: «Res, quibus fruendum est, Pater, et Filius, et Spiritus est, eademque Trinitas una quædam summa res.» Sed apertius Anselmus lib. de Incarnat. Verb. cap. 3. docet, tres personas esse tres res, et unam rem: tres res relativæ, et unam absolutam. Nec est insolitum plura nomina non synonyma significare unum, sed diverso modo.

Dices: si ista nomina significant unam rem absolutam, et tres relativæ; ergo significant quatuor res. Respondeo: nullam esse consequentiam, nam res illa absoluta non distinguitur re, sed ratione tantum ab illis tribus relativis; proinde in Deo est unitas essentiae, est Trinitas personarum, nulla vero quaternitas est.

Ad secundam dico: Essentiam esse illa tria, et illa tria esse Essentiam. Quod autem Essentia non generet, et Pater generet, non arguit distinctionem realem, sed rationis tantum. Nam etiam homo et humanitas sunt una res, et tamen homo generat, humanitas non generat.

Ad tertiam, nego Essentiam esse fontem personarum, aut relationum: nam personæ a personis producantur, relationes autem non producantur, ut relationes sunt, sed per se consequuntur ad productionem suppositorum. Vide S. Thomam 1. p. q. XL. art. 4 et in 1. sent. dist. 27. quæst. 1. art. 3. Ino Augustinus lib. IV, Trinit. cap. 20, contrario modo loquitur cum dicit, Patrem esse principium totius Divinitatis: ubi tamen non vult dicere, Divinitatem produci, sed Patrem esse principium omnium divinarum personarum; quandoquidem Filium producit per generationem, et Spiritum sanctum per spirationem: ipse autem a nulla persona aut gignitur, aut spiratur.

Ad quartam de Symbolo dico: illud argumentum militare contra Benedictum Aretium Zwinglianum. Ille enim in hist. de sup-

plie, Valent. Gentil. cap. 6 et 11. cum nesciret respondere ad argumentum Gentilis, qui probabat solum Patrem esse unum Deum, quia in Symbolo dicitur *Credo in unum Deum Patrem*; opem imploravit virgulæ unius, quam inserendam esse dixit inter Deum, et Patrem.

Cæterum Catechismi Catholici non habent istam virgulam, et Patres veteres exponentes Symbolum, semper legerunt unum Deum Patrem, ut Irenæus lib. I, cap. 2. Cyrillus catech. 7. Rufinus explicat. Symb. et alii. Quamquam etiam si distingueremus Deum a Patre per interjectam virgulam, non propterea introduceretur quaternitas: nam ibi Deus distingueretur a Patre, ut significaretur nomine Dei non comprehendi solum Patrem, sed etiam Filium et Spiritum sanctum. Quemadmodum autem vocari Patrem in Symbolo unum Deum non repugnat Filii Divinitati, supra non semel est explicatum; præsertim cum in eodem Symbolo dicitur Filius unicus Dominus noster, nec tamen ullus neget Patrem quoque esse unicum Dominum nostrum. Quamvis enim Catechismi, ut plurimum, legant, et in Jesum Christum Filium ejus, unicum, Dominum nostrum, tamen Rufinus, in Expositione Symboli scribit, illud, unicum, posse referri tum ad Filium ejus, tum ad Dominum nostrum. Vere enim Christus et est Filius Dei unicus, et unicus Dominus noster.

At quintam respondeo: cum Deum dicimus se manifestasse in tribus personis, velle nos dicere, Deum esse tres personas, et hoc nobis revelatum esse divinitus. Quando petunt, quis est ille Deus? an Pater? an Filius? Respondeo: est Divinitas, sive est Trinitas, sive est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; quidquid enim horum respondeatur, rectissime respondebitur. Pari ratione qui dicunt, si qui tamen Catholicorum ita dicunt, tres personas in uno Deo residere, nihil aliud significare volunt, quam tres personas unius esse Deitatis, unius essentiae, unius nature, nec de verbis, cum res constat, controversia faciendi est, ut Augustinus bene monuit 1. I, retract. cap. 15.



## CAPUT IX.

*Dilatur argumentum tertium.*

Tertium argumentum. Pater est ingenitus, et Filius genitus; ergo non sunt unus Deus, alioqui unus Deus erit genitus, et non genitus, quæ implicat contradictionem. Item. Generabile et ingenerabile differunt plusquam genere, sicut corruptibile et incorruptibile; ergo Pater et Filius differunt plusquam genere.

Item. Vel genitum et ingenitum sunt accidentia vel substantiæ. Si primum; ergo in Deo sunt accidentia: si secundum; ergo Pater et Filius differunt substantialiter.

Respondeo ad primam rationem: si utraque propositio sit affirmativa, utraque est vera, et nulla est contradictio. Nam Deus est genitus, et Deus ingenitus non sunt contradictoria, quia in prima propositione Deus accipitur pro Filio, in secunda pro Patre. At si fiat altera negativa hoc modo, Deus est genitus et Deus non est genitus: vel sic, Deus genuit, Deus non genuit, sunt contradictoria, sed prima est vera, secunda est falsa. Ratio est, quia nomen Deus absolute accipitur pro personis indistincte: sed quando dicitur, Deus genuit, vel Deus est genitus, ratione prædicati notionalis restringitur subjectum Deus ad unam certam personam. Et sic est verum, Deus genuit, quia restringitur nomen Deus ad Patrem. At quando est negativa, subjectum non restringitur per prædicatum, quia tunc nihil asseritur, sed negatur. Itaque cum dicitur, Deus non generat, vel Deus non est genitus, est sensus, nulla persona divina generat, nulla est genita; quæ sunt falsa.

Ad secundam respondeo: generabile per motum differre genere ab ingenerabili: tale enim generabile natura sua est corruptibile: at generabile sine motu et mutatione, non necessario differt ab ingenerabili. Sed facilius potest responderi: generabile et ingenerabile tum solum differre genere, cum natura ejus quod generatur per generationem producitur: non autem cum solum commu-

nicatur uni ab alio. Porro Filium dici genitum, non quod natura ipsa ejus genita sit, seu producta, sed quod eam Filius a Patre per generationem acceperit. Itaque non distinguitur Filius a Patre natura, sed solum quoad modum naturam illam habendi. Sicut Adam ex nullo homine est productus, Eva ex solo Adamo, Cain ex Adamo et Eva; et tamen erant omnes tres ejusdem nature specificæ. Quod exemplum affert Justinus de rect. Fid. confess. Nazianzenus lib. V. de Theol. Damascenus lib. I, c. 9. et Augustinus lib. I et II contra Max.

Ad tertiam dico: genitum et ingenitum nec esse substantias, nec accidentia: nam ingenitum est negatio quædam processionis, genitum autem dicitur relationem; et etiam paternitas, ac spiratio tam activa, quam passiva relationes sunt. Relationes autem divinæ sunt quidem rationes substantiales, et realiter ipsa Dei substantia; tamen ut distinguuntur ratione ab essentia, non dicunt substantiam, quia relatio ut relatio non est substantia: nec dicunt accidens, quia in Deo nullum est accidens. Ita respondit Augustinus lib. V, Trin. cap. 3, 4 et 5, ubi eleganter argumentum retorquet in Arianos: nam cum dicitur: *Ego et Pater unum sumus* (1): unumne, inquit, dicuntur Pater et Filius secundum substantiam, aut secundum accidens? Si primum; ergo sunt ejusdem substantiæ Pater et Filius: si secundum; ergo in Deo sunt accidentia. Et concludit tandem his verbis: hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum, quod tamen relativum non est accidens. Vide etiam S. Thom. in 1. q. XXVIII, art. 2, ubi docet, in Deo esse duo prædicamenta secundum proprii generis rationem, substantiam, et relationem.

Sed dices. Si ad essentiam et substantiam Dei non pertinet esse genitum vel ingenitum, quomodo non accidit hoc illi? Respondeo cum Augustino ibidem: Deo nihil accidere posse, nam omne accidens compositionem dicit, et mutationem. Unde concedendum est, Deo esse proprium, naturale et necessarium simpliciter ut sit Pater, Filius, et Spiritus sanctus, et proinde quod una persona sit ingenita, alia genita, alia procedens: sic tamen hæc sunt naturalis et necessaria Deo, ut non sint proprie et formaliter de essentia ejus. Quomodo in rebus creatis, naturale est animalis et necessarium esse rationale vel ir-

(1) I. Joan. X. 30.

rationale, et tamen neutrum est de essentia ejus: cum tamen e contrario animal sit de essentia utriusque, id est, tam hominis, quam bruti. Ita igitur essentia divina essentialiter includitur in relationibus: nihil enim est in Deo, quod non sit essentialiter Deus; alioqui esset essentialiter creatura: at contra ipsa relatio non includitur essentialiter in essentia, nec tamen accidit ei, ut dictum est. Quin potius clarius hoc cernitur in nostro proposito: nam paternitas, filiatio, et spiratio relationes sunt; relatio autem secundum suam formalem rationem abstrahit a substantia et accidente, nam in Deo relatio est substantia, in creaturis est accidens. Vide S. Thomam 1. p. q. XXVIII, art. 1, et de pot. q. VIII, art. 5, et Franc. Ferrarier. in IV. cont. Gent. c. 14. non procul a fine.

## CAPUT X.

*Dilatur argumentum quartum.*

Quartum argumentum. Generare est summa perfectio in vivente: hanc autem perfectionem Pater habet, Filius non habet; non igitur est Filius æqualis Patri, proinde non sunt ejusdem nature Pater et Filius, et quod inde sequitur, non sunt plures personæ ejusdem essentiæ in Deo. Et confirmatur. Quia productum dicitur intrinsece dependentiam ab alio, et posterius est eo a quo producitur, si non tempore, certe natura: at verus Deus est ens ex se independens, et necessarium, et nulla re posterius; igitur Filius non est verus Deus, cum sit productus, et a Patre in esse dependeat.

Respondeo: generare dicere perfectionem, sed minime eam deesse Filio. Est enim in Filio omnis perfectio activæ generationis, licet ipsa activa generatio in Filio non sit, quia non est opus: nam omnem perfectionem quam habet generatio, ab essentia habet: essentiam autem totam etiam Filius habet. Id quod facilius intelliget, qui observaverit, quod sicut principium quo generationis activæ est essentia divina, et ideo generatio activa est infinitæ perfectionis; ita terminus quo generatio passivæ est essentia divina, et ideo illa etiam infinitæ perfectio-

nis, imo ejusdem prorsus infinitæ perfectionis est.

Dices: si terminus quo generationis divinæ est essentia; ergo essentia generatur saltem per accidens. Respondeo: nullam esse consequentiam: nam in creaturis natura quæ est terminus quo, per accidens generatur, quia non communicatur natura Filio eadem numero cum ea quæ in Patre, sed alia quædam nova, quæ quia nisi producat non est; ideo producitur, ut communicari possit. At essentia divina una numero est in Patre, et communicatur Filio; ideo per generationem minime producitur.

Ad confirmationem respondeo: in creaturis dependere Filium a Patre, quia accipit aliam numero naturam ab illa quam habet Pater: in divinis autem non esse ejusmodi dependentiam, quia eadem natura, quæ ex se est simpliciter independens, communicatur a Patre Filio, idque naturaliter, et necessario; unde solum est relatio mutua Patris ad Filium, et contra, sed sine ulla dependentia in esse.

Pari ratione negandum est, omne productum necessario esse posterius: solum enim productio per se requirit ordinem inter producentem, et productum, sed non prioritatem, nisi per accidens in creaturis, ubi nova natura ex non esse deducitur ad esse. At inter personas divinas non potest ulla esse prioritas, et posterioritas, cum nihil habeant istæ personæ, nisi essentiam et relationem, et essentia sit una et eadem in omnibus: relationes autem id requirant, ut sint simul natura.

## CAPUT XI.

*Dilatur argumentum quintum.*

Quintum argumentum. Quando Filius genitus est, vel erat, vel non erat. Si erat; quare genitus est? Si non erat; ergo aliquando Filius non fuit; ergo non est verus Deus; ergo non sunt plures personæ ejusdem essentiæ.

Item. Vel Filius semper gignitur, vel semper est genitus, vel aliquando gignebatur, et aliquando fuit genitus: si semper gignitur; nunquam terminum et perfectionem ultimam